Michaël Mekelburg

18

DISPUTATIO MEDICA
DE
ICTERO

Quam
Auxiliante Deo T. O. M.
PRO LOCO
PROFESSIONIS EXTRAORDINARIÆ
IN AMPLISSIMA FACULTATE MEDICA
Illustris ac Celeberrimæ Academiæ REGIOMONTANÆ
Publico Eruditorum examini sistit
GEORGIUS WOSEGINIUS D.
Respondente
NICOLAO PARSCHITZIO,
Solnâ Pannon:
Ad Diem 6. ~~Maij~~, Anno 1652. Junij.
In Auditorio Majori
Horis ante & post Meridiem.

REGIOMONTI,
Typis JOHANNIS REUSNERI.

Illustribus Magnificis ac Generosissimis
DOMINIS
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
SUPREMIS CONSILIARIIS
BORUSSIÆ DUCATUM REGENTIBUS.

DN. JOHANNI EBERHARDO à TETTAU,
Supremo Provinciæ Magistro.

DN. BERNHARDO à KONIGSECK,
Supremo Burggravio.

DN. CHRISTOPHORO à TROSCHKE,
CANCELLARIO Eminentissimo.

DN. AHASVERO à BRANDT,
Supremo Mareschallo.

Dominis Mæcenatibus ac Promotoribus meis
Gratiosissimis
Disputationem hanc
Submissionis Gratitudinis ac Cultus ergo
eâ qua par est humilitate

Offero

G. Woseginius D.

I. N. D. N. I. C.

IΚτεϱος mutatus est nativus corporis color in χλωϱὸν: sive (Quid Icterus.)
ab ave cognomine, (Latini Galbulam, vel Galgulum vo-
cant,) morbi vocabulo cum Plinio deducto (*l. 30. c. 11. nat.*
Hist.) sive cum Aetio (*tetrabil. 3. s. 2. c. 17.*) ἀπὸ τῆς ἰκτίδος à vi-
verrâ, quod ictericorum oculi tanquam viverræ croceo infe-
cti colore cernantur. Arcuatus (sive cum veteri Græc. κόχκινα
Arquatus, (ad similitudinem cœlestis arcus dicitur; Regius
autem morbus quod vino bono & regalibus cibis citius uti
ajunt curetur. *Isid Etymol.* Græcis recentioribus χϱυσιασμὸς
vocatur, eâdem ratione qua Latinis Aurugo, (vulgo aurigo,
corruptê uti puto.) Et qui eo laborant Auruginosi, *Gloss.*
Isidori) Arcuati, felle suffusi, & Varroni Lutei.

2. Pars, quæ hoc symptomate affligitur, sive subjectum ejus (Subjectum.)
est universi corporis habitus, in quem si bilis flavæ vitellinæ
croceæ aut nigræ ex viridi mistæ (quæ omnia comprehen-
dit τὸ χλωϱὸν) ex viscere aliquo refusio fiat, illam affectionem
Icterum nominari, textus est vetustissimi *Aretæi. l. 1. de sign.*
diuturn. Morb. (*vid. Oecon.* Foes.) Utut enim sola corpo-
ris superficies sive cutis extrinsecus colorata appareat, tamen
non minus putandum est, humorem morbificum in subja-
centem quoq; corporis habitum se insinuare, Imo com-
pertum est experientiâ, ipsum quandoq; in venis sanguinem
totum flavescere. cujus rei insigne exempl. est ap *Schenck.*
l. 3. Obs. 2. de Ictero.

3. Et vero cum symptoma morbum tanquam umbra (Causæ)
corpus sequatur, Ictero consimiliter causam præbere visce-
ris alicujus morbum non incredibile est. Igitur prima ac
potissima in vesiculam fellis cadit accusatio, quippe quæ
destinatum à naturâ est bilis hujus divagantis receptaculum.
Jecori deinde, lienive, aut soli, aut una utriq; mali hujus de-
bentur natales. Quin salvis quoq; visceribus hisce, exter-

 nis

nis de causis suboriri potest affectus, aut Crisis specie ex febrium fine initium capere; Imo in febribus quoq; symptomaticè accedere.

4. Fellis vesicula nudâ quandoq; laborat δυσκρασίᾳ sive Imbecillitate, ἀτονίᾳ ut communiter practici vocant, (potius Intemperie frigidâ ut ex *Galen. 2. M. M. 4. deducit Hoffman. in Instit. p. 3. c. 28.* eò quod ἀῤῥωςίας vox nihil indicet,) quâ, attractrice ejus læsâ permistum sanguini manet biliosum recrementum, sicq; cum illo per arterias ad capillaria usq; vasa amandatur: Addunt Autores, repleri quoq; nimium eam posse, adeo ut distentis fibris, contrahendi se, ac excernendi facultas quodam modo ei adimatur, idq; trito vesicæ urinariæ cõfirmant exemplo: Sed vero causas has, solæ si sint, posse sufficere vix fidem meretur. Frequentius autem vesica bilaria morbum patitur in meatibus, sive ijs qui adducunt, sive, quorum muneris est abducere.

5. Nativam his partibus aliquando esse angustiam, nescio an unquam sit animadversum, uti nec coaluisse quidem constat: Obstructas autem ut plurimum, sive à talium infarctu, quæ ordinariâ naturæ lege in corpore generantur, sive ab illorum præsentiâ quæ toto genere sunt præter naturam.

6. Prioris ordinis est bilis illa, quæ ad exitum destinata, ubi quacunq; de causâ moram trahit, ob sui viscerumq; calorem in lentorem assatur, aut admixtis particulis alijs crassioribus ad fluxum inepta redditur. Pituita similiter, nec non humores alij, spissitudinem adepti meatibus hisce impingi possunt.

7. Ex posteriorum censu calculi sunt, quos in folliculo fellis mirâ varietate gigni non infrequens est, docentibus id præter quotidianam experientiam, Doctorum passim observationibus, quarum selectiores videre est apud *Schenck: l. 3. sub Tit. de Ictero.* ap. eundem exemplum est lapidis ductum

ctum Cholidochum obstruentis: Vermes quoq; hosce meatus obstruere posse testis est *VVierus. l. 4. c. 16.*

8. Deinde comprimuntur sæpius vesiculæ bilariæ meatus, à vicinorũ viscerum in dextro hypochondrio, duodeni præsertim intestini, ipsiusq; Hepatis inflammationibus, ut & Hepatis scirroso tumore, aut scirro, ita ut nec influat in vesiculam fel, nec ex ipsà in intestina egeratur.

9. Non tamen omnis Icterus ab obstructis compressisve vesiculæ meatibus originem ducit, possibile enim est, ut ijsdem quoq; de causis fellis ductus Hepaticus, ad separandam excernendamq; bilem ineptus reddatur. Sic visus est in hoc meatu calculus: *ex Fallop. & Coitero. Schenck. p. 461.*

10. Ex Hepatis morbis, quos Icterus sequi potest, intemperies est calida ac sicca: Quotquot enim calidiore sunt Hepate eos omnes multum flavæ bilis colligere constat: In obstructo deinde Hepate (quia separari inutile ab utili commode non potest) causam aliquando consistere posse à veritate alienum non est. Inflammatio quoq; ut & Erysipelas cùm bilis proventum augent, tùm demeacula ipsius angustiora reddunt; de Scirro mox dictum.

11. Lien pariter si hos patiatur morbos, Intemperiem, inflammationem, Scirrum, Obstructionem, suum perdit officium, nec Melancholiam à massâ sanguineâ separat, quâ cutim universi corporis unà cum sanguine subeunte, color ipsi conciliatur ex luteo nigricans, μελάντερος (*Galen. 5. loc. aff. 7.*) Interdum niger & velut æthiopis: Observatus etiam ex totali ejus absentia niger. (ap. *Zacut Lusit. l. 3 prax. admir. obs. 137.*

12. Nec vero propterea negamus bilem in vesiculâ fellis istam subire posse corruptionem, ut nigrescentem acquirat colorem cutimq; nigredine perfundat.

13. Sed satis sit de Internis ac propinquioribus causis, ubi hanc unam addidero; à fervido solidorum temperamento, quod ab intemperie calidâ cordis dependet, augeri quoq; posse bilis proventum.

14. Externæ causæ quæ quovis modo fellis generationem augere aut depravare ejus motum possunt, vel necessariæ sunt vel contingentes. Illæ sic dictæ quod earum usu carere nemo possit, sunt ex rebus non naturalibus, quotquot vel nimium calorem in corpus introducunt, vel generandæ bili facilem præbent materiam, quorum omnium hic catalogum texere parum opus. Contingentium autem quas alioquin prudentiâ nostrâ declinare possemus, locum hic habet venenũ, sive per os sũptũ, sive ab aliquo ἰοβόλῳ animali communicatum; quod deleteriâ suâ vi, sanguinem in biliosum corrumpit Ichorem, idq; ut breviter comprehendamus quicquid hic disputari solet, per σύντηξιν sive colliquationem. *Videatur Conring. d. sang. gen. & Mot.*

15. Critici in febribus Icteri ut & symptomatici eadem est causa proxima, bilis in habitum corporis effusio; antecedens, putrescentis ejus in corpore abundantia. (Nam in febribus ardentibus & malignis, non in Jecore saltim, sed passim etiam alibi in venis, bilem, bili quæ in Jecore confit, non absimilem, aliquando reperiri constat) hâc saltim differentiâ, quod in isto natura lubens vitiosum humorem satis subactum ad ambitum corporis cum levamine ægri protrudat, in hoc irritata crudum eundem ante destinatum coctioni tempus non sine infirmi periculo.

Differentiæ.

16. Varietas igitur causarum, uti vidimus, multas Icteri parit differentias, quæ (demto illo qui à causâ externâ seu à Fortunâ est) reducũtur commodè ad tres. Icterũ nimirũ qui fit culpâ fellex vesiculæ; eũ, qui fit culpâ viscerum, sanguinis

elabo-

elaborationi inservientium, & deniq; criticum, tam illum qui perfectè judicat, quam qui non judicat, aut malè.

Signa.

17. Quâ autem ratione Icterus quivis cognoscendus sit, aut discernendus, commodum nunc est aperire, propositis uniuscujusq; signis, quorum in hoc affectu non adeò difficilis est perceptio, vel enim primo adspectu color morbum prodit (modò cautio sit ne decipiat nos ἰκτερώδης χροιὴ Hipprocatis *lib.* περὶ γυν. φυσ. in profluvio mulierum albo, item in Cachexiæ specie quæ citrina dicitur.) isq; in albo; oculi ob summam adnatæ tunicæ albedinem, pariter ac in raninis venis, eo quod valdè promineant, facilè observabilis, (quanquam ap- Hipprocat. sit quoq; ἰκτεριώδης ὀφθαλμὸς in Pleuritide.) Pruritus etiam ob bilis acrimoniam ac mordacitatem sæpè ægris molestus est.

18. Et hactenus communia quidem stant signa. Proxima certitudine sunt quæ ab excrementis petuntur. In felleo, præterquam quod subito ingruit, dejectiones albicant, similiter si hepar simul aut lien, obstructionem aut Scirrum patiantur, præcluditur enim tum harum partium excrementis ad Intestina prolapsus: Urina autem ultra solitum tincta est, quod bilis tum plurimum ad vesicam cum sero ablegetur. Et in universum urina passea morbi regij est certissimum signum, uti habet ex Actuar. *Zacut. Lusit. l. 2. de Med. Princip. Hist. 114.* Sudor, humoris peccantis æmulus est, nisi hic sit crassus nimis cutiq; impactus, tum enim aquosus fere prodit sudor.

19. Calculorum non adeò manifestæ sunt notæ, nec peculiaria symptomata, nisi quandoq; punctorius aut distendens aut gravativus in dextro hypochondrio dolor, qui tamen Inflammationi Obstrustioni Scirro, utriusq; visceris (nam in sinistro quoq; nonnunquam advertere cum est) æquè est familiaris.

20. Si

20. Si excrementa à naturalibus nihil aut parum distent, indicio est, non pati morbum organicum viſcera ſanguificationis, ſed juſto ſaltem eſſe calidiora: Quo colorata magis iſthæc prodeunt, eo majorem arguunt intemperiem. Si bilioſa aut atra excernantur cum febri, inflammationem alicujus viſceris denotant: de quo ut certi reddamur in ſubſidium vocabimus communia intemperierum ſigna.

21. In Critico febrium Ictero, ſalubri quidem, plane ad naturæ ſe habent modum excrementa, poſt ſigna coctionis, febrisq; remiſſionem: Qui vero, non ad ſalutem ſupervenit, deſtinatum ad παροξυσμὸν anticipat tempus.

22. Qui à veneno eſt Icterus hoc peculiare habet, quod ſæpe numero, maculæ in univerſo corpore effloreſant, luteæ, nigræ, cæruleæ, diverſicolores; Lypothymiæ ac ſubitaneæ virium dejectiones infeſtent; Ulcera (præſertim à morſu venenatorum) depaſcentia, puſtulæ aduſtis ſimiles, alia. Cæterum alvi ὑποχωρήματα ſanorum ſunt ſimilia, niſi ſi quando contingat venenatum illum Ichorem ad Inteſtina ferri.

Prognoſtica. 23. Præſagiorum, ſicuti cauſarum ac differentiarum ingens eſt varietas: In univerſum, quo pertinaciores ac pejores ſunt cauſæ, eo malum quoq; diuturnius eſt ac curatu difficilius; Sic qui à Calculo eſt morbus regius pene incurabilis eſt, niſi eundem naturæ robur aut medicamenti vis ad Inteſtina elidat. Nihilo fere melior qui à ſcirro viſceris alicujus provenit, quia hydrops inde metuendus. Obſtructiones quoq; pertinaces quia in ſcirrum facile degenerant, expugnatu tardæ: Imo niger ob humoris morbifici contumaciam non ita promptè ſubigitur. Facilius nonnihil cedit, utut periculo non vacet, qui ab inflammatione alicujus viſceris pendet: ſimiliter qui ab humore aliquo craſſo meatibus impacto. Symptomaticus in febribus monitu Hippocrat. *4. Aph. 62, malus.* Qui à veneno eſt cito quidem

præ

pro veneni ratione ac naturâ finem sortitur, sed rarius ad salutem. Qui à nudâ viscerum Intemperie ortum ducit, nec cum evidenti periculo, nec per longum tempus affligit. Omnium securissimus est verè Criticus, quia morbum solvit, neq; (cum viscera sint sana,) habet, unde foveri possit.

24. Solvitur autem communiter aurugo pene omnis impacti in cutem humoris paulatinâ discussione (ubi remota prius fuerit ejus causa) sive natura sibi confisa eam in se suscipiat, sive in subsidium vocetur artis varietas. Quandoq; autem si à leviori obstructione alicujus visceris, bilisve aut Melancholiæ redundantiâ ortus fuerit Icterus, exhibitis Chologogis aut Melanogogis causa ejus facillimè tollitur.

25. Cæterum cum sublatâ quæ Icterum producit causâ, ipse non difficulter cesset, in hæc duo, omni machinâ erit incumbendum; Alterum est, ut quæ præter naturalem bilis in corpore aut Melancholiæ copiam generant, aut coacervant causæ, auferantur: Alterum, uti his, si præter naturam subsistant, eductioni eorum destinati pateant elices. Atq; hæ indicationes tam sunt universales, ut cuicunq; Icteri differentiæ aliqua earum applicari possit. Qui perfecte criticus est nullâ eget indicatione; Qui à causâ externa est seu à veneno, conjuncta alijs sibi deposcit alexipharmaca. Indicationes.

26. Igitur primum quod attinet, sicuti immodicus aut intempestivus rerum sex non naturalium usus, si hîc ad caliditatem aut siccitatem inclinet, autor est abundantis in corpore causæ morbificæ, ita moderatus atq; opportunus eorundem usus, & sanitatem conservat, & lapsus ejus corrigit: Quare, aer ad frigidiusculum accedere debet; Quod si id nec regio patiatur nec anni tempus, cœlive status curandum ut arte talis fiat; Vitetur nubilus, crassus, infectus &c. Cibus postea, non sit calidus nimium, aut siccus, durus, salitus Curatio.

 infuma-

infumatus, pinguis, dulcis: Vini potus ut & meracior omnis cæteris paribus fugiendus; Vigiliæ, eo quod sanguinem attenuent ac incendant, noxiæ: Motus itidem nimius; Excrementa corporis retenta, fuligines præprimis, calorem igneum accendunt; Quo pertinent medicamenta Cholaloga non exclusa à corpore, ni enim solvant talia, humorem purgandum alunt *ex Cœlij Aurelian.* sententiâ. Ira motum sanguini ac velut ebullitionem conciliat, abstinendum igitur ab eâ. Tristitia, metus, melancholiam augere dicuntur, quare non minus erunt nociva. Cætera omnia sunto moderata.

27. Quicunq; ex hoc præscripto vivunt, utut in sanitatis latitudine viscera ipsis sint paulò calidiora, tamen non valdè multum bilis aut Melancholiæ cumulabunt. Quibus autē in intemperiem, aut nudam, aut cum materiâ prolapsa sunt viscera, hoc nihilo secius debent uti regimine, nisi quod pro ratione subjectorū, consuetudinis, ἰδιοσυγκρασίας, aliter atq; aliter contra calorem aut siccitatem pugnandum sit. Neq; diætam variabit symptomaticus febrium Icterus, (si cœtera bene se habeant) Quibus obstructio mali metum injicit, attenuantem & aperientem diætam servabunt.

28. Nec postremo hic loco stabit Pharmacia. Quod si enim viscerum intemperies huic malo præbeat causam, obviam ei refrigerantibus eundum aut humectantibus, tam adsumptis quam exterius admotis: qualia tanquam communiter nota adducere supervacaneum existimo. Inflammatio, præter ista, repellentia ac discutientia sibi deposcit, sub hac cautelâ ut tonus (quem vocant) viscerum, roborantibus conservetur. In scirro emollentia præmittenda, dein resolventia ac discutientia. Obstructio aperientibus & abstergentibus expedienda.

29. Non inutile quoq; erit Chirurgiæ ministerium, potissimum in præter naturali caliditate & inflammatione viscerum, cui commodum præstabit non vulgare, venæ sectio, quæ tamen extra hunc casum, habito solius symptomatis respectu locum non reperiet.

30. Alterum quod spectat, nimirũ uti restagnantem in corpore bilem aut Melancholiam convenienter educamus, necessarium omninò erit similiter refrigerantem, deobstruentem & abstergentem vivendi rationem instituere. Sed potissima vis Pharmacorum erit; quod si enim humoris morbifici excretionem aliqua meatus obstructio deneget, reserandus ille Chologis maximum si bilis sit impacta, additis phlegmagogis, si cum pituitâ tenaci consortium habeat; aut melanogogis si lien melancholicum humorem egerere nequeat: Quorum omnium pro causarum ratione optima sunt, serum caprillum commendante id Mesue. Rhabarbarũ, Aloe, Tamarindi, Gialappa, fumaria, senna, Polypodium, quæq; ex ijs aut prostant aut parari possunt.

31. Non inconsultum erit si valde crassus sit humor, admiscere aperientia ex Radicibus Chelidon. Rubiæ Tinctor. Corticib. Tamarisci, Rad: Cappar. Herb. Centaur: Min. absinth. agrimonia: ♀ro vitriolat. Ocul. Cancr. Spirit: ♀. Multum laudantur in omnibus obstructionibus, præmissis præmittendis & subsequente exercitio, Chalybeata, qualia, Acidum ♀ri Chalybeatum Salæ (ap. *Schrad. in Pharmac. l. 4. p. 212.*) Magisterium ♂. Electuar de limat. Chalyb: (ap. *Schenckiũ, quà de Ictero*) Vinum Chalybeatum cibi in aqua Chalybeatà cocti. Si à calculo sit obstructio addenda quæ vim habent eum dissolvendi, qualia pleraq; ex ♀ro. Ocul. ♋. Spir. ⊖ &c.

32. Vomitum quoq; ciere proderit si (quod non raro evenit Ictericis aut qvi obstructo sunt hepate) fellis aliqva

pars

pars in ventriculo stabuletur; Unde ciborum aliquibus nausea, oris amarities crebræ vomitiones. Pariter si à recens assumpto veneno subortus sit.

33. Per urinam vero etiam non minima pars humoris morbifici & resolutæ in obstructionibus materiæ ablegatur; quare facile viderit Medicus prudens, ubi & quando Diureticis sit opus, proderunt moderata, ex semin. 4. frig. maj. Graminis, Dauci, rad Fœnic apij. Asparag. Cicer. rub. Superato morbo causaq; morbificâ, sponte suâ evanescit symptoma, nisi humor sit crassus nimiùm, cutisve densa, tum enim ejus discussioni ars opitulabitur, parato ex decoctis attenuantium & discutientium (v. g. Lapath. prass. Lupin. Fol. Raphan. &c.) balneo, aut prolecto frequentius sudore, Diaphoreticis, sale Carduib. Absinth. Tamarisci. In venenato sudorifera cum Alexipharmacis optima erunt; Theriaca, Diascord &c. Ac sicuti cucurbitulæ scarificatæ in benigno Ictero partem biliosæ colluviei, ita eædem vulneri (ex morsu feræ) applicatæ, partem veneni educere possunt: in quo vulnus non insuper habendum, sed abluendum sæpe Theriacâ cum vino calido, ac diu apertum servandum: ac si præterea quædam ingruant symptomata ijs debitè prospiciendum.

Tantum.

μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα!

